LIB. XVII. PAND. *TIT. I.*

Mandati vel contra.

Mandatum conſideratur vel

- *In Affinibus ſuis, quæ ſunt*
  - *1. Commendatio, hæc autem*
    - *Eſt*, qua laudatione addita perſona alterius benevolentiæ, ad exhibenda eidem humanitatis officia, inſinuatur, *a. l. 19. ff. d. ædil. edict.*
    - *Dividitur in*
      - *Generalem*, qua in genere perſona commendatur, rogaturque ut illi benevolentiæ & humanitatis officia præſtentur.
      - *Specialem*, qua perſona enixè commendatur, & verbis factisve declaratur commendantem periculum obligationis, cum commendato contrahendæ, ad ſe pertinere velle. *a. L. 7. C. h. Leg. f. C. quod cum eo, qui in al.*
    - *Cum Generalis eſt non obligat. L. 12. §. 12. ff. h. quod in Speciali Commendatione ſecus eſt*, modò animus obligandi declaratus ſit, ubi mandati. *a. l. 24. ff. d. fidej. d. l. 7.* vel in factum actio. *a. l. 12. §. 6. ff. h.* locum habet, modò creditor enixa commendatione ad ſatisfaciendum voluntati commendantis (e.g. mercator ad credendum) invitatus ſit. *Dec. El. 42.*
  - *2. Conſilium, quod*
    - *Eſt*, quo quis in re dubia quid ſibi videatur exponit citra intentionem eum, cui conſulitur, ad obſequendum, aut ſe ad indemnitatem præſtandam, obligandi. *a. §. 6. I. h.*
    - *Dividitur in Generale*, quo in genere, *& Speciale*, quo in ſpecie, quid faciendum ſit, conſulitur. Sed *utrumque non obligat, niſi ſit (1) doloſum*, quo caſu læſo de dolo actio in ſubſidium competit. *L. 47. ff. d. R. J.* *(2) Inſtructorium* in delictis, hoc enim crimine perpetrato conſulentem ex delicto obligat. *a. l. 52. §. 3. ff. d. furt.* mitius tamen conſultor, quàm perpetrator facinoris, modò ſine hoc conſilio delinquere voluerit, punitur. Brunn. *sent. 5. d. 73.* *(3) cum enixa perſvaſione* atque incitatione *conjunctum. a. l. 12. §. 13. ff. h. §. 6. I. h.*
- *In ſe &*
  - *Eſt* contractus conſenſualis de negotio futuro & honeſto gratis expediendo. *§. 7. I. h.*
  - *Dividitur*
    - *1. r. Cauſæ Efficientis in Expreſſum*, quod expreſſa, *& Tacitum*, quod tacita voluntate perficitur. *a. L. 18. ff. h. C. 43. d. R. J. 6.*
    - *2. r. Objecti*
      - *1. In Univerſale*, quod ad univerſa negotia, *& Particulare*, quod ad unum negotium vel certa negotia pertinet. *l. 6. §. 6. ff. h.* Huic *proximè accedunt Literæ Credentiales Generales & Speciales*, Credentz-Schreiben/ quæ conceduntur, ut fides afferenti eas habeatur in negotiis in genere vel in ſpecie commiſſis, & ſcribentem concernentibus; eæq; *r. dantis in Privatas & Publicas diſpeſcuntur*, ex quibus *hæ* à publicis perſonis: ut à Principibus, Legatis, *illæ* à privatis tradi ſolent, & quidem illas, *tàm generales quàm ſpeciales, ſcribentem ex mandato obligare. a. l. 12. §. 13. ff. h.* docuit Struv. *Dec. Sabb. c. 12. dec. 11. 12.*
      - *2. In Judiciale*, quo negotium judiciale, *& Extrajudiciale*, quo negotium extrajudiciale committitur. *§. 2. I. h.*
    - *3. à Fine in id quod contrahitur vel (1) Mandantis tantùm gratia. §. 1. I. h. (2) Mandantis & Mandatarii. §. 2. I. eod. (3) Mandantis & Tertii. §. 4. I. h. (4) Mandantis, Mandatarii & Tertii* (e. g. ſi mandet tutor contutori ut equum neceſſarium emat pupillo.) *l. 8. §. 4. ff. h.* *(5) Mandatarii, & Tertii.* (veluti ſi Sejo mandem, ut Titio, pecuniæ indigo, ſub uſuris credat) *§. 5. I. h.* *(6) Tertii tantùm gratia. §. 3. I. h.* Sed, *An poſtremis caſibus duobus ſit mandatum*, ambigitur, eò quod mandantis non interſit; id quod *Affirmandum cenſeo per dd. text.* accedit quod, ſi mandatarius ex mandato perperam negotia tertii adminiſtraverit, mandans Domino negotiorum, ſive ex negotio geſto, ſive ex mandato, ad indemnitatem obſtringitur. *l. 21. §. f. l. 28. ff. d. neg. geſt.* prætereaque ceſſante eo quod intereſt mandantis, Actionem Mandati, tanquam effectum. *l. 8. §. 6. ff. h.* non ipſum Mandatum, tanquam cauſam actionis, deficere palàm eſt. *j. l. 8. §. 4. ff. h.* at ſublato effectu, qui variis modis impediri poteſt, non ilicò ejusdem cauſa deficit.
  - *Conſtituitur.* *v. pag. ſeq.*